

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Daniel Habichhorst Gottfried Kohlreif

**Partis Secundae Illustriorum Isaiae Locorum Dissertatio Exegetica Prima De
Massa Babel Et Monte Excelso, Super Quem Vexillum Erat Elevandum Ex. Isai.
XIII. v. 1 & 2.**

Rostochii: Wepplingius, 1693

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733812481>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 21.Jan. 1693

Habichhorst, Andr. Dan.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733812481/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733812481/phys_0003)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733812481/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733812481/phys_0004)

DFG

PARTIS SECUNDÆ
ILLUSTRIORUM ISALÆ LOCORUM
DISSERTATIO EXEGETICA
PRIMA

DE

MASSA BABEL

ET

MONTE EXCELSO,
SUPER QVEM VEXILLUM ERAT ELEVANDUM,

Ex ISAI. XIII. v. 1. & 2.

Auxilio DEI Hominis & Ven. FCtis THEOL. conseniu,
PRÆSIDE

ANDR. DANIELE
HABICHHORSTIO,

Doctore & Professore Theologo Ordina-

rio Cónsistoriiq; Duc. Meckelb. Assessore & Collegii

II Prof. Ducalium Seniore, nec non FCtis sue

h. t. Decano,

Add. XXI. JAN. A. 1693. IN AUD. MAJ. Inclita Univ. Rostochiensis,

ad placidam sententiarum collationem proponit

GOTHOFREDUS Wohlreiff/

STRELIZ MEKELB.

Rostochii, Tp. is JOH. WEPPINGII, Univ. Typogr.

Bibliotheca
Rostoch.

VENERANDO VIRORUM TERNIONI:

Maxime Reverendo Amplissimoq;

DN. M. FRANCISCO CLINGIO,

Ecclesiae Neobrandenburgensis Pastori longe meritissimo
& Districtus Stargardiensis Superintendenti gravissimo,
Dn. Patrono & Promotori observandissimo;

Nobilissimo Prudentissimoq;

DN. VALENTINO STEINIO,

Inclitae Urbis Rostoch Senatori Spectatissimo,
& Judicij h.t. Praesididexterrimo,

Dn. Fautoriac Patrono sumopere colendo,

Nec non

Pl. Reverendo Praclarissimoque

DN. M. MATTHIAE ERASMO KOHLREIFIO,

Ecclesiae Strelizenis Pastori vigilantissimo, & Synodi

ejus Praeposito dignissimo,

Dn. Parenti meo filiali observantiae cultu

reverenter perpetimque colendo,

Hoc quicquid est chataeci munera, in tesseram debitam tum observan-

tia, tum gratitudinis, cum voto omnigenae prosperitatis atque

felicis anni recentis decursus, strenue loco

Officiosissime dicat offeritq;

G. KOHLREIF, Resp.

AUSPICE DEO - HOMINE!
PARTIS II.
ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM
PRÆLO QUIVM.



A solutâ per DEI gratiam primâ illustri-
orum Jsaiæ locorum parte , jam invoca-
tâ eadem summi Numinis gratiâ ad
secundam quoq; pedem promovemus,
quæ communi ferè Interpretum con-
sensu (qvem suprâ in præfatione partis
i. laudavimus) à XIII. capite incipit,
nostraq; ex sententiâ in præfatione istâ pluribus expo-
sitâ , capite XXVIII. inclus. definit , adeoq; *sedecim* mo-
dò capitibus constat , cum alias juxta *B. Varenium* finem
demum c. 39. & juxta *Musculum* c. 48. sortiatur. *Sym-
bolum* partis hujus II. sive *summarium* nobis exhibet vox
Massa , qvæ prima capitî XIII. qvod primum hujus
partis est: qvicqvid enim Propheta parte hac secunda
vaticinatur, illud principaliter est *Massa*, h. e. *onus* s. *one-
rosa Prophétia* , qva Deus externis præcipue regnis ter-
risq; regno Jhudæ finitimis , qvales sunt *Babel* cap. 13.
& 14. *Phelisea* c. 14. v. 28. *Moab*. C. 15. *Damascus* C. 17. *Egy-
ptus* C. 19. *desertum maris* C. 21. *Arabia* eodem , *Tyrus* C. 23.
Ephraim c. 28. (à qvibus sc. Jhudæa vel erat confusa, vel
qvibus hæc nimium confusa) horrendam prædictit cala-
mitatem & excidium, ut ita ad solum *Messiae* regnum,
qvod æternum est , & de qvo simul vaticinia passim hac
etiam parte in seruntur, desideria mortalium ferantur.
Dicimus *externis præcipue finitimisq; regnis*: qva limita-
tione statim objectioni occurrimus, quæ formari con-
tra illammet jam datam secundæ hujus partis definiti-
tionem *tum ex cap. 22. posset*, ubi & *onias valles visionis*

i. e. *Ira*

DISP.
L.

PARTIS II. ILLUSTR. JSAI LOCORUM

e. *Jruschalem* vel *Jhudææ* proponitur, tum ex c. 24. iubi *devastatio terra Jhudaica*, & ex v. 20. c. 27. ubi *destru-
etio urbis Jruschalem* prædictitur. Illa enim de *Jhuda* &
Jruschalem destruenda, sicut & *vaticinia de Messia*, &
orationes Eucharisticae ac preces, hac in parte saltem inci-
denter prædicuntur & interseruntur: siqvidem mox c.
23. Propheta pergit ceteris qvoq; regnis terrisq; exter-
nis ac finitimus, nempe urbi Tyro, & c. 28. (qvod ultim-
um hujus partis est) *regno* qvoq; *Israël*, qvod ibidem
Ephraimiticum & aliæ *Samaritanum* dicitur (conf. Disp.
1. part. 1 loc. 1 §. 5.) *onus* & *va* in solarium Zionis vel re-
gni *Jhudæ*, ex qvo *Messias* erat proditus annunciare.
Ut v. de *Symbolo* hoc s. *summario* partis II. rectius nobis
constet, primo statim loco primordialia capitinis XIII.
verba בָּבֶל מִשְׁא h. e. *Massa Babel*, s. Prophetiam de stu-
pendo urbis regniq; *Babel* excidio, considerare non
pigramur, qvæ verba *inscriptio* s. *argumentum* sunt pri-
orum partis hujus, nempe XIII. & XIV. capitum: an-
non enim, qvicq; in duobus illis proponitur capiti-
bus, principaliter est *Prophetia de urbis regniq; Babylonici
destructione?* Esto igitur

LOCUS I. JSAI. XIII. 1.

De

Inscriptione: Massa Babel.

Pro sensu v. inscriptionis hujus indagando, hæc
duo veniunt exponenda (1.) *vocabulum MASSA*:
ubi qværitur qvid illud sibi velit, & qvo respectu
hæc & seqq. prophetæ hoc nomine insigniantur? an re-
spectu *portationis onerosa*, an vero *levationis*? cum utraq;
significatio Radice ejus inesse deprehendatur? (2.) obje-
ctum tam illud, cui *Massa impositum*, qvod est *Babel*, qvam
hoc, cui idem immediate certoq; est fine *propositum*. Cir-
ca utrumq; certæ qvæstiones movebuntur.

§. 2.

LOCUS I. JSA.

§. 2. *Massa*, de quo principe nobis loco est agendum, alias quidem *proprium* nomen est; non tamen *loci* cuiusdam in deserto Exod. 17. 7. Ps. 95. 8. juxta Ravanelum Bibl. sacr. in voce *Massa*; aliud enim est מַסָּה Massab cūm קְרֵב & קְרֵב i.e. tentatio, à R. נִסְחָה tentavit, à quo locus ille in deserto nomen habuit; aliud v. נִשְׁמָה Massa cum נִשְׁמָה & שָׁמָן à R. נִשְׁמָה tulit &c. sed *Viri* cuiusdam, qui Ismaelis fuit filius Gen. 25. 14. Hoc autem loco appellativè significans, juxta Interpretes per metonymiam notat onerosam prophetiam aut visionem, quam vidit Iesaias, h. e. prophetiam de futura calamitate atq; excidio regni Babylonici & aliorum, quod Deus ipse velut onus humeris hominum imponebat. Non enim Iesaiæ tantum, licet præcipue, sed aliis quoque Prophetis familiare hoc vocabulum *Massa* fuit, quoties tristia & duriora s. poenas & calamitates, concionibus suis denunciarunt. Vid. Jer. 31. 33. Ezech. 12. 10. Chabacc. 1. 1. Nahum. 1. 1. &c. Unde & factum, ut idem vocabulum catachrestice in bonam quoque partem prophetia non dura seu tristi, sed grata & læta fuerit acceptum, quovsum Anglicæ annotationes referunt locum Zach. 12. 1. ubi vocabulum hoc constructur cum דְּבָרֵי־רוּחָה h. e. verbum Domini, quomodo & Zach. 9. 1. Mal. 1. 1. constructum reperitur h. m. onus verbi Domini. In quo posteriori Malachiæ loco *Massa* non dicitur הַע i. e. contra ceu alibi; sed הַנִּזְבֵּד i. e. ad, cum huic prophetiæ onerosæ apud Malachiam aliquid lenitatis & consolationis adnixtum videatur. Et quoniam Prophetæ propter nimiam populi pertinaciam & impietatem freqventiora de talismodi pœnis atq; oneribus vaticinia proferebant, inde factum est, ut profani & populus quodcumq; Dei verbum omnesq; Prophetarum conciones non tantum vulgari dicterio, sed per ludibrium etiam vocarint *Massa*.

A. 2

la. Doc.

sa Domini, atque ita verbum Domini non modo exosum reddiderint, sed & Prophetarum concionibus illuserint, quasi nihil aliud illi in concionibus agerent suis, quām ut denunciatione judiciorum Dei & calamitatum, terrem auditoribus injicerent molestiamq; crearent: ob quām proinde causam graviter quoq; Deus per Jeremiah indignatus, noluit amplius sic interrogari: *quodnam est Massa*. *onus Domini*; sed ita potius jussierit quæstionem formare: *Quid respondet Dominus*, & *quid dicit Dominus?* vid. Jerem. 32. v. 33. 36. & seqq. ut & *gloss.* Luth. ad v. 36. Ex his v. dictis clarescere jam putamus, quid sibi velit hīc vocabulum *Massa*, quidq; respondendum sit ad quæstionem, circa vocabulum illud jam antè propositam: *quo sc̄ respectu prophetia adversus Babel* & *sequentes populos dicantur Massa?* an respectu *portationis onerosa*, an verò *levationis?* quæ significaciones inter alias insunt ejus Radicinū, quæ vocabulo hūc assignatur 2. Reg. 2. 25. Si enim *Massa* hīc & in seqq. juxta Interpp. ceu dictum, *Prophetiam* notat onerosam h. e. prophetiam de futura calamitate, quām Deus ipie velut onus humeris Babyloniorum aliorumq; imponebat, certè ratio prioris denominationis, nempe *onerosa portationis* in aprico est. Qvod v. *portandi* significatio vocabuli hūjus Radici insit, vel ex Num. 1. 50. & Ezech. 36. 8. clarus constabit, qvicq; etiam Sociniani ex hypothesi negatæ satisfactionis Christi nobis ogganniant, quando locum J̄. 53. 4. אָמֵן חֲלִילוּ נַחַזְקָה ita reddimus: *verè morbos iù nostros portavit.* Neq; tamen alterius hīc significacionis, scil. *levationis* respectus omnino deficere videtur. Etenim B. Varenius in Comm. h. l. p. 2. triplicem *levationis* rationem reddit: scilicet (1) Prophetæ hujusmodi vaticinia nomine Jhovah magnificè ad populum effebant

rebat atque ita levabant. 2. habebat illam in ore atq; ita levabat & efferebat ipsum quoq; auditorium. 3. munciabant hæc vaticinia pœnas cœlestes adeoq; elevabant auditores ad domum judicij cœlestis, in qua onus illud decernebatur.

§. 3. Circa II. sc. Objectum prophetæ hujus onerosæ duo occurunt breviter disqvirenda (1.) objectum cui Massa s. onus impositum s. adversus quos illud prædictum (2.) objectum cui idem proxime & certo est fine propositum. Prius, cui onus impositū, ex primitur addita voce Babel, cū dicitor: בָּבֶל נָשָׁב, de quo nomine, quod non sit à בָּבֶל & ut significet venit Bel i.e. Deus s. idolum Babyloniorum, prout R. Aben Esra illud interpretatur; sed à Rad. בְּכַל i.e. confudit, adeoq; Babel à confusione lingvarum, in ejus extirpatione facta, nomen habet, ex historia sacra Gen. 10. 9. constat. Posteriorius objectum, cui hoc onus proxime propositum, quodq; non exprimitur, sed ex contextu colligitur, non est Babel, sed Iuda & Ierusalem, quibus peculiariter destinatus Propheta fuit Iesaias. Isa. 1.1. Circa prius objectum sc. Babel queritur hic (1.) an per Babel intelligatur tantum urbs hujus nominis, an v. etiam regnum s. Monarchia Babylonica una cum Regibus suis & territorio? (2.) quare onus s. excidium Babelis i. Babylonicum primo ponatur loco? Ad (1.) respond. non tantum ut bēm sed & regnum Regesq; Babylonios & territorium, per Babel hic esse intelligendos, quod non tantum Prophetæ complementū, sed & contextus coomonstrant. conf. & Jerem. 50. 34. seqq. usq; ad 40. Cum enim urbs Babylon totius imperii Chaldaici sedes & caput esset, pro toto illa Chaldaeorum regno frequenter sumitur. Et quidem (1.) quod ipsum hic regnum intelligatur s. Monarchia Babyloniorum (quo nomine Assyrios includimus, quippe Babelis quondam Dominos & subditos. conf. c. 14. 25.) vel ex seq. vers. 19. clarescit, ubi Babel diserte vocatur *כְּבִי טַמְלוֹתָה gloria regnum h. e. præcipuum regnum,*

6 PARTIS II. ILLISTR. JSAIÆ LOCORUM.

quæ verba pluribus infrà exponentur. conf. Jsa. 47.5. ubi **regina** regnum, &c. v. seq. 7. ubi **regina** vocatur. (2.) Reges qvoq; ipsos sub intelligi, docet tum seqv. c. 14. v. 4. ubi populus Dei in die desolationis Babylonicae diserte dicitur *contra Regem Babel triumphum parabolicum eloquuturus*, & seq. v. 5. dicitur Dominus fregisse **מִשְׁלֵחַ כָּבֵד** h. e. *sceptra dominantium* i.e. Regum Babyloniorum, de qvibus in præcedd. actum. Et qvis aliis seq. v. 12. cap. 14. per *tuciferum è cœlis prolapsum* i. e. de throno suo dejectum intelligendus, qvam **Monarcha quidam Babylonicus?** qvod seq. Disp. III. D. V. ostendetur. Conf & seqq. v. 16. 18. 19. 21. 25. 26. Idem patet ex Jer. 50. 18. & c. 51. 57. quæ duo capita Jeremiæ multum lucis hisce duobus Jfaianis de Massa Babel afferunt, cum idem argumentum tractent. (3) qvod sub nomine Babel ipsum qvoque *territorium s. terra Babyloniorum includatur*, inter alia v. 5. & 9. hujus capitis docent, ubi *terra* qvoq; *terra Babylonica* dicitur vastanda. Sed & (4.) ipsam hic urbem Babel respici, qvæ *metropolis Chaldææ s. Mater & genitrix Chaldaeorum* fuit, uti vocatur Jerem. 50. 12. inter alia ex leqv. v. 20. 21. 22. elucescit, ubi *domus Babyloniorum bestiis feralibus dicuntur replenda*, ut & animalia solitudine gaudentia, in *edibus magnificis eorum sc. Regum Babyloniorum & palatiis deliciarum* perhibentur alternis ululatibus sibi *responsura*. Ubi v. splendidores sunt repertæ ædes & palatia deliciarum majorum, qvam in urbe Babel?

§. 4. Ad (1.) v. qvæstionem, *quare sc. Babelis onus s. excidium primò hic loco proponatur?* an qvia Babel vicinior erat Ihudææ? an v. qvia regnum regina erat, ceu vocatur v. 19. h. e. glorioſissimum & potentissimum regnum, regnoq; Ihudæ maximè infensa? Respondemus negando prius: si quidem *Philistea, Moab, Egyptus, Tyrus &c.* qvæcum Massa in subseqq. proponitur, propinqvioreſ erant Ihudæis. Proinde

de posteriores h̄ic rationes obtinent, adeoq; dicendum, *Babelis* cladem primo hic loco proponi, eo qvod *Babel* (I.) regno longe augustissimo & oecumenicā majestate gāudebat, adeoq; Domina regnorum esset, uti & vocatur *Isai*: 47. 5. (2.) qvod *Babel* regno *Jhudæa* infensissima, diu illud multumq; afflixisset, adeoq; propter potentiam & crudelitatem (qvam & appellations probant, quibus *Babel* modò malleus totius terræ *Jerem.* 50. 23. mo dō mons perdens dicitur *Jerem.* 51. 25.) perqvam formidabilis regno *Jhudæa* censebatur. Unde & *Babylonis* præcipue *Massa* & vindicta hæc divina erat denuncianda, qvod vel ex v. i. cap. leq. 14. clarescit, ubi talis capitum 13. & 14. connexio datur : *Propterea Dominus Babylonem perdet, qvia miserebitur Israelis.* Unde & perspicitur Prophetam h̄ic leniendo *Israelis* dolori operam dare : imo & commoda hinc capit̄is hujus 13. ipsiusq; partis secundæ cum præcedentibus partis primæ capitibus ~~orixua~~ simul appetet. Scilicet egrediās qvidem promissiones Prophetæ hactenus *Jhudæis* recitaverat, promissiones inqvam de *Christo Immanuele, virginis filio* c. 7. de puerō *DEO* forti & Patre eternitatis, cuius regni non fuerit finis c. 9. de surculo ex radicibus *Jischai* prodituro, c. 11. &c. qvia tamen *Jhudæi* propter maximam regni *Babyloniorum* tum majestatem tum potentiam non abs re metuebant, ne illud potentia & crudelitate suâ non reliqua modo regna, sed & *Judaicū* planè oppimeret, atq; ita regnum qvoq; *Messiæ* (de qvo splendidas hactenus promissiones audiverant) everteret, vel potius totam gentem *Judaicam* (ex qva *Messias* erat nasciturus), extingveret, atq; ita priusq; *Messias* nasceretur absorb eret, proinde præsenti *Massa* *Babel* cap. 13. & 14. immediatē promissionibus jam dictis annexo, *Jhudæos* solari conatur Prophetæ, prædicendo & urbem *Babel* captam & regnum ejus potentissimum, qvod adeo metuebant, destructumiri, proptereaq; *Jhudæos* à dolore & indignatio

8 PARTIS II. ILLUSTR. ISAIAE LOCORUM

gnatione & servitute liberandos, parabolicum hunc de Babylonie triumsum contra Regem Babel esse eloquuturos: quomodo cessat nunc exactor, & quomodo cecidisti. &c. c. 14. 3. 4. 12. adeoque ridendo admiraturos esse, Babylonem de tanto potentiae fastigio potuisse perturbari, ut non amplius tributum exigere à Iudeis posset. Qibus observatis, jam simul ratio sequentis ad objectum, cui Massa s. onus hoc propositum, quæstionis quodammodo appetet.

s. s. Objectum illud, cui Massa Babel immediate & proximè certoque fine est propositum, diximus non esse Babel: Non enim Propheta ad Reges Babel profectus est, neq; ad Babylonios immediate & proximè vaticinum hoc misisse putatur: Licet enim c. 13. 6. & c. 14. ii. 12. 16. 19. Regem Babylonie regnumq; ejus alloqvatur, exercitus convocet, vexillum efferri jubeat; quomodo & Jeremias alloqvitur Medos Persasq; iisq; imperat, exercitus convocat, vexillum efferri jubet, vid. Jerem. c. 50. 14. 15. 16. 26. 27. c. 51. ii. 13. hinc tamen non conficitur, quod ad eundem profectus aut immediate ac proximè vaticiniū ad Babylonios missum fuerit: Sicut enim apud Oratores, ita quoq; ap. Prophetas istæ loquendi formæ passim occurunt, quib; a DEO instructi ejusq; autoritate conspicui, ipsos quoq; absentes tanquam praentes alloqvuntur, imo & res absentes ac futuras oculis quasi subjiciunt iisq; tanquam sibi subiectis imperare non dubitant. Potuissent Prophetæ simplicius cladem sic denunciare: *Venient Medi & prorumpent in portas Babylonis, cader Rex Babylonie &c. sed multò plus vehementiæ & emphaseos habent hujusmodi hypotyposes & exclamations & apostrophæ. Relinqvitur ergo objectum illud, cui onus Babel est immediate ac proximè propositum, esse Iuda & Ierusalem, d quod satis ex contextu colligitur. Ad quæstionem v. circa hoc objectum, quæ queritur, cur Prophetæ hoc Babylonie excludunt?*

cidium Jhudeis proposuerit. Respondetur, non gravibus sine causis id factum esse. Ex qvibus (1.) hæc est, qvam & qvæstionis proximè præcedentis ratio insinuabat, scilicet Jhudeorum consolatio. Cum eum Jsaia, uti dictum, Propheta esset peculiariter regno Jhudæ urbique Jruschalem destinatus, certè is Jhudæorum dolores in primis lenire debuit, qvippe qvi ad potentiam & crudelitatem Babyloniorum trepidabant, ne deficerent animis, nec de fœdere, qvod cum Abraham Deus percuaserat, neque de regno Messiae desperarent. (2.) est *iustitiae & providentiæ divinae in gubernatione mundi contestatio.* Cum enim difficilius nihil hominibus persuadeatur, qvam Dei providentiâ hunc gubernari mundum: dum enim variæ contingunt mutationes, alii quidem DEum ludere in rebus humanis putant, qvidam omnia cœco fortunæ impetu verlari censem; pauci v. curâ consilioq; Dei hæc inferiora gubernari credunt: Utilissimum ergo necessariumq; fuit, ut Jsaia hujusmodi Massa similesque proponeret Prophetias, regnorumq; mutationes prædiceret, ut illas non nisi justo Dei judicio graviq; consilio contingere omnes docerentur, nec animi piorum tantâ rerum vicissitudine turbarentur. (3.) est *Jhudeorum admonitio*, ut scil. in hac Babylonis aliorumq; clade tanquam in speculo, qvid meriti essent, prospicientes ita colligerent: Si protanis gentibus, qvi in tenebris versantur Deumq; verum non agnoscunt, tam gravis & stupenda annuntiatur vindicta, qvantò graviores meremur pœnas duriusc; vapulabimus nos, qvi Domini legem edocti voluntatem ejus scimus adeoq; scientes & volentes pœnas nobis accersimus. Præprioris v. (4.) est *singularis DEI erga populum suum amoris ostensio*, qvem sanè sic satis agnoscere debebant Jhudæi videntes, qvam solitus is de salute ipsorum esset, qvantopereq; injurias ipsimet à Babylonii illatas ulcisceretur,

§. 6. *Uſus loci de Massa Babel in Theologia qvidem
controversa non adeo appetet; qvi verò in morali Theolo-
gia dari posset, ejus in Dissertationibus nostris rationem
non habemus. Si tamen locum voluerimus in nostrum
converteſe uſum, diſcēmus hinc, Deum qvidem olim non
ſveviſſe clades immittere, niſi prius arcanum (consilium)
revelaverit prophetis, ſervis ſuis, populumq; adeo per Pro-
phetas præmonuerit, juxta Amos. 3. 7 hodie v. ſpeciatim illū
non curare prædicenda, qvæcunq; regnis populisq; ſunt e-
ventura; inde tamen non licere nobis providentiam negare
ſ. colligere, ac ſi eam, qvam iuſcepit, Deus mundi gubernatio-
nem resignaverit; quin potius quoties urbium eversiones
regnorumq; mutationes & gentium ærumnas noſtrasq; ve
ipſorum adverſitates deprehendimus, ad Deum mox ſum-
mum & providum Patrem justumq; orbis Rectorem reſpi-
cientes, non tantum ſub ejus flagellis humiliemur & alienis
ſapere malis diſcamus, ſed & tempora patientes humilesq;
expetemus, qvæ nos Deo providente rurſus ſolabuntur,
juxta Syr. 1. 28. 29.*

LOCUS II. JSAI. XIII. 2.

De

Monte excelfo, ſuper qvem vexillum erat elebandum.

Poſt inscriptionem capitis XIII. & XIV. nempe *Massa Babel*,
haec tenus viſam, mox clades Babylonica hac Prophetiā
delineatur, & qvidem (1.) qvoad *antecedentia*, qvō per-
tinet *exercitus* Babylonem expugnaturi *conſcriptio*, usq; ad
v. 5. (2.) qvoad ipſam cladem, qvæ describitur tum ab *adjunctis*,
tum à *cauſis* à v. 6. usq; ad 18. (3.) qvoad *conſequentia*, ad qvæ
ſpectat ſupendus Babylonis antehac floridiffima nunc eversa ſta-
tus proxime futurus, à v. 19. usq; ad fin. Ad *antecedentia* qbd
attinet, in ipſo ſtatim capitī initio Prophetā ipſummet De-
um

um, tanquam summum Imperatorem, introducit loquentem
 & qv. milites Babylonē expugnaturos conscribentē, his qvi.
 dē verbis incipiendo: עַל הַר נְשָׁפָה שָׂאוֹנָס הַרְטוּ קֹל לְהֹתֶן i.e. **הַנִּסְעָד** וְבָאָו פְּתַחְיוֹ נְרוּבִּיָּה caliginosum elevate vexillum, exaltate vocem, levate manum & ingredientur portas Duces. Quem locum capit is initialis, cum variis Interpretum sententiis obnoxius deprehendatur, qvin breviter etiam post inscriptionem dilucidemus, intermittere non possumus, ne scilicet in principio statim prætereatur, qvod ventilatione dignum videbatur. Pro sensu v. ejus per vestigando qvaritur, (1) & qvidem præcipue, qvid per montem hic intelligatur, an ipla urbs Babel (cujus Massahic proponitur) an v. alias indefinite? (2) an mons ille per adjectum נְשָׁפָה dicatur caliginosus juxta Vulg. an v. eminens &c? Qibus expeditis de reliquis facile constabit, qvid sc. (3.) sibi velit elevatio signi super montem &c. qvid deniq; (4.) importent verba loci ultima, qibus finis elevationis signi designatur: וְבָאָו פְּתַחְיוֹ נְרוּבִּיָּה i.e. juxta Vulg. & ingredientur portas Duces.

S. 2. Ad qvæst. (1) de monte, quid scil. per illum hic intelligatur, si Targum Jonathani interrogaretur, certè responderet, intelligi urbem: ita enim locum reddit: עַל כָּרְכָּא נְקִיפָּה אֲחֵת לְרֹחֶבֶת שְׁלוֹוָא רְחוֹבָא i.e. contra urbem, que sedet (habit) secura, elevate signum. Qvod v. per urbem is intelligat Babylonem, si non ex descriptione ejus, certè ex interpretatione Raschi clarescit, qui Jonathani suffragatur, ita locum exponens: elevate vexillum, ut congregentur gentes contra Babel, velut montem habitantem in quiete, & libidinibus suis ac flagitus securè perfruentem. Eadem sententiæ favent ex Christianis Sanctius Comm. in Jsa. h.l.p. 110. item Musculus in Comment. p. 229. alioq;. Rationes vero qibus induci videntur, ut per montem intelligerent urbem Babel, sunt seqq. qvia sc. (1.) ean-

dem urbem Babel Jeremias diserte montem appellat & quidem מִשְׁרַחַת בָּבֶל i. e. montem perdentem s. perditoris i. e. qui totam perdit terram, ceu dein Propheta id exponit, vid. Jerem. 51. 25. ubi eandem hanc cladem Babyloniam pluribus praedit Jeremias, qui adeo totū hoc 13. Isaiae caput si non expressisse, attamen spectasse videtur, uti Sanctius censem l. c. (2.) quia praecedens particula מִשְׁרַחַת communiter quidem notat super, frequenter tamen etiam contra significat, ceu patet ex locis Num. 1. 2 Pl. 2. 2. Isaie. 2. 12. &c. item ex citato Jeremiæ loco, ubi מִשְׁרַחַת saepius cum nomine Babel constructa significat contra Babel. vid. Jerem. 51. 1. II. 27. 28. 29. 35. conf. Glass. Gram. l. 3. tr. 6. can. 12. n. 9. Unde & h. l. verba מִשְׁרַחַת commode sic reddi posse videntur: *Contra montem elevate signum.* Nec obstat, qvod Babel non in monte sed in planicie sita fuerit: Gen. 11. 2. Babel enim appellatur mons non propriè vel topicè; sed potius, metaphorice tum respectu summi imperii, cuius intuitu Propheta illam quasi in arcem supra cunctas gentes eminentem in sublimi statuit: tum propter magnificentiam palatiorum, altitudinem turrium & murorum, instar montis surgenium. conf. Jerem. 51. 18. tum propter pensiles Babylonie portos, quos antiquitas celebrare & pro miraculo habere non dubitavit. Tanta enim mole ac amplitudine erecti erant isti, ut procul venientibus Babylon non tam urbs, quam mons videretur, qvod patet tum testimonio Josephi, l. 10. Antiq. c. 13. ubi de illis ita judicat: *moles saxeas fornicibus suspendit* (Nebuchadnezer) MONTIUM speciem referentes, supernè consitas variis arborum generibus &c. tum Curtii, qui l. s. de gestis Alexandri M. rebus: *super arce, inquit, pensiles porti sunt. summam murorum altitudinem (que centum cubitorum eminet spacio) equantes, multarumq; arborum umbrâ & proceritate amoeni, — ut procul venientibus SYLVÆ MONTIBUS suis imminere videantur.* conf. & Sanctius h.l.

§. 3. Alii

§. 3. Alii tamen plures, quos Thomas Gatakerus in adversariis
Miscell. c. 23. p. 255. saniores vocat, per montem hunc intelligunt
 non urbem, tanquam locum contra quem signum erat efferen-
 dum, sed montem quendam eminentem indefinite, tanquam lo-
 cum signi efferendi scilicet super quem vexillum erat elevandum.
 Et hic sensus *Calvino* quoque censetur probabilius, in *Comm.*
sup. I.ai. p. 118. cui & *Batavi* suffragantur hac versione: heft
 op een Paniere / op eenen hooghen Berg. Eandem quoque
 sententiam in animo habuisse *Lutherum*, Germanicae eius
 versio manifestat, ita habens: *Werffet Panier auff auff ho-*
gen Bergen/pro qua & B. Varenius pugnat, in *Comment. h.l.*
p. i. dicendo: *Montem hic magis loco signi efferendi, quam loco*
contra quem effertur convenire. Et licet is concedat *Babylonem*
 potuisse montem vocari excelsum, illam tamen h. l. intel-
 ligi negat, p. 7. Neque nos habemus, cur dissentiamus. Favet
 enim contextus & commoditas sensus. Si quidem initialibus
 his verbis apparatus describitur bellicus, atque exercitus Ba-
 bylonem expugnaturus concribitur. Solebant autem tunc,
 qui bellum suscipiebant, non tantum buccinarum clangore,
 sed & signorum erectione milites convocare. Igitur & hic
 talem signi erectionem in editiori loco juberi, ut eodem
 longè lateque conspecto magnus fieret militum ex terris pro-
 cul remotis concursus, non dubitamus. *B. Varenius* l. c. p. 5.
 aliam quidem addit rationem priori sententiæ de urbe *Babel*
 opponendam: *mons excelsus, inquietus, non est ipsa Babel,*
quia imperativi illi tres in fine (causam intelligit finalem) de-
mum habent Babelem: convocantur scilicet signi explicato, voce pra-
conum, agitatione manus, ut (ecce causa finalis) intrent Babylonem
per portas principum. Cur v. huic rationi non subscribamus, ex
 infra dicendis ad quaest. 4. scilicet ad finalem illam elevationis signi
causam patebit, ubi ostendetur, tres illos imperativos (*ele-*
vate vexillum, extollite vocem, agitate manum) in proximo
 fine

fine suo non habere Babelē, cum in finalibus illis secundi ver-
sus verbis non *introitus per portas Babylonis* expugnandæ, sed
conventus potius militum *ad portas Ducū* suorum indigitetur.
Ad rationes v. dubitandi qvod attinet & qvidem ad (1.) re-
spondemus consequentiam hanc negando: ap. Jeremiam
c. 51.25. per *montem perdentem*, contra quem manum exten-
dit suam Dominus, intelligitur Babel: Ergo & h. l. per *mon-
tem excelsum*, super qvem vexillum erat elevandum, ad qvod
milites congregandi. Contextus enim paulò ante laudatus
reclamat. Ad (2.) licet יְהוָה freqventer in ipsaq; parallelā
Jeremiæ Prophetiæ sèpius cum nomine Babel conjuncta signi-
fiæt contra; propria tamen & communior ejus significatio
est *super*, qvæ & Radici ejus תְּלִי i. e. *adscendit*, magis conve-
nire videtur. Vid. *Gloss.* Gram. l. 3. tr. 6. can. 12. Ab hac ergo
citra necessitatem non est recedendum.

§. 4. Dehinc II. qværitur, an *mons* qvæstionis per ad-
jectam vocem נֶשֶׁר dicatur *caliginosus* juxta Vulgatum; an
v. *excelsus eminens*, vel *preruptus*, juxta alios? an v. נֶשֶׁר
aliud qvid h. l. designet? Primum affirmant *Sanctius*, *Foreri-
us*, *Grotius* & alii, qui sanè multum momenti in qvæstione
de monte Babel adjectæ voci *caliginosus* tribuere, illamque
cumprimis, ut Babyloni & Ebræo נֶשֶׁר apprimè conve-
nientem, urgere videntur. Et *Sanctius* qvidem in Comm.
super *Isai.* p. 151. varias *caliginis* rationes colligit; qvanquam
prioribus ipse tribus, qvæ & *Forerii* sunt, parum confidit, un-
de & mox ad alias confudit, & (4.) qvidem ad *textum fidem-*
que bistoriae magis facere putat, si *Babel* dicatur *mons caliginosus*,
propter *temporis articulum sc. noctem*, qva captâ & expugnatâ
mole illâ, qvæ toti mundo pro miraculo fuit habita, florentissi-
fimum illud Chaldæorum imperium est extinctum *Dan.* s. 30.
31. cumq; tunc temporis in caligine esse civitas illa, Civesq;
poculis vacantes paterentur tenebras, qvas incalcentibus
me-

mero ebrietas inducit, adeoq; non minor civitati à nocte, quam civium animis à crapula & perturbatione offusa fuerit caligo, meritò ipsam Civitatem à caligine illa *caliginosam* vocari censem, qvod idem ab usitato etiam loqvendi modo, qvo fur à nocte, qua bonis aliorum insidiatur, *nocturnus*, & *obscuri* dicuntur *Virgilio*, qui noctu gradiebantur. l. 6. *Aeneid*. *Ibant obscuri sola sub nocte*. Jungit (5.) rationem à proprietate aliqua omnibus nota vel ex *natura loci* petitam, & propter hanc non tam figuratè quam propriè Babylonem familiari nomine *caliginosam* vocari censem. Cum enim *fluvius Euphrates* medium civitatem influeret, ex eoq; pingves nebulæ crassiq; vapores excitarentur (qvibus accesserit *fumus* ex tam frequenti urbe exundans) qvæ montem illum arte manuq; factum non uno alteroq; die. etiam mense, sed maiore anni parte obsidebant, hinc Babel peregre venientibus *caliginosam* & *nebulosam* apparuisse putat. Eodem & *Grotius* tendit dicens, *caliginosam* vocari Babylonem, *quia in palustribus locis sita erat, unde ascendens vapor urbem obscurabat*. Tandem (6.) qvoq; rationem addit *Santius* ab *hortis pensilibus* jam laudatis, propter qvos Babel procul venientibus ut *mons caliginosus* apparuerit, qvod & præced. §. 1. ex *Josepho* & *Curtio* probatum.

§. 5. Verū ad has rationes Sanctianas Resp. (1.) *generaliter*, omnes ruinoso planè fundamento niti; neq; n. per montem h.l. Babylon indigitatur, ceu præced. §. 3. est ostensum, neq; vox Ebræa נְשָׁמָה monti adjecta, *caliginosum* sed *excelsum* potius vel *eminentem* vel *præruptum* significat, qvomodo & Lutherus rectè vertit: auf hohen Bergen. Si quidem vox quæstionis, qvæ non nisi hoc in loco legitur, non est (uti quidem nonnulli censem) אֶלְעָנָה, qvod *crepusculum* notat, quo tempore obscura sunt omnia & caliginosa; sed אֶלְעָנָה, elevatus est in *precipitum*, eminuit. Unde in participio Niphah, ad formam נְלָגֵן est vox quæstionis נְפִשְׁנֵה i.e. *elevatus, eminens*.

nens. Facit a. pro significatione *elevandi* (1.) vox שְׁפִי in *Piel*, ab eadem Radice, quæ legitur IJob. 33. v. 21. ubi dicitur: וְשָׁפֵי עַצְמָרוֹתָא רָאוּ i.e. & elevabuntur (prominebunt) offa c̄jus (quæ antea) non videbantur. Favet eidem (2.) radicis ejusdem *nominalē derivatum* שְׁפִי notans *præcipitum s. locum eminentiorem*, adeoq; contemplationibus aptiorem, qvod semel qvidem in singulari legitur Num. 23. v. 3. juxta Germ. sed. v. 7. juxta Ebr. וַיַּלְךְ שְׁפִי i.e. & abiit (Bileam in) clivum (excelsum) qvanquam alii putant nomini שְׁפִי l.c. inesse significationem *confractionis s. anxietatis*, q.d. & abiit (Bileam) *anxius s. turbatus*; aliū v. *præcipitanter*: ita Luth. und ex gieng hin eilend. Quidam v. cum Ludov. de Dieu vocem שְׁפִי reddunt: *in vallem s. planitem*. Qvæ certè versio postrema cum in contrarium planè abeat & rationes Viri, qvos in animadv. ejus ad l.c. Num. 23. annotatas legimus, nostræ interpretationi de *excelsō monte*, nimiopere videantur obstare, facere non possumus qvin illas hue referamus, & simul pro illustrazione præsentis loci retundamus. Dicit a. (1.) Syro שְׁפִיא esse *planitem*, cum & Jsa. 40. 4. pro לְמַישָׁר h.e. *in rectum planum s. locum*, habeat לְשְׁפִיא (2.) cum Bileamus à Balaco jam tunc in loeo esset *excelsus* constitutus, rem ipsam postulare putat, ut Bileamus inde in occursum Domini abiturus, dicatur non in *clivum s. excelsum*, sed *vallem abisse*. Nam Balak juxta præced. v. 41. Num. c 22. duxit Bileamum בֶּלֶת בָּה בָּה h.e. *in excelsa Baal* (3.) ait nomen plurale שְׁפִיא (cujus singulare est vox qvæstionis) in locis Jsa. 41. 18. c. 49. 9. Jerem. 4. 11. &c. ex mera saltim conjectura communiter verti per *clivos*, cum reddendum sit per *convalles s. planitem*. Verūm ut ut argumenta hæc speciolè videantur excogitata; nihil tamen soliditatis habent. Nam ad (1.) resp. distinguendo inter significationem vocis *materialem & accidentalem* in lingua filia, & *formalem sublimiorē* in lingua matre. Licet enim Syro שְׁפִיא sit *planities*, cum

cum etiam planities in locis detur montanis s. excelsis (quod non sunt, qui montes Helveticos Alpesque transfixerunt) ab accidentaliter tamen s. materiali illa suppositione vocis, & quidem in lingua filia, non valet consequentia exclusivè ad formalem sublimiorem in lingua matre, præsertim cum in ipso quoq; Syriam ṣפִיָּה non talem notet planitatem, quæ repugnat sublimitati, quod vel ex Syriaca versione loci 2. Cor. 12.7. colligitur, ubi στερεόψις surca, quæ eminens, vocatur שְׁפִירא Ad (2) resp. negando hanc consequentiam: Bileamus jam erat in excelsis Baal constitutus: Ergo hinc in occursum Domini abiurus ivit in vallem, non in clivum: in locis enim montanis non tantum planities datur, uti jam ad obj. i. diximus, sed & gradus sepe sublimitatis conspicuntur. Potuit ergo Bileamus ab uno excelsio s. clivo in alium excelsorem adscendere. Et unde probabit Lud. de Dieu tantam fuisse sublimitatem excelsorum Baalis (in quibus Bileam Duce Balaco tunc erat constitutus) ut inde Bileamo DEum cultuero non sublimius procedendi via patuerit? Certe cum in prima saltem specula tunc ipse versaretur, eaq; secunda & tertia longè fuerint altiores, ex quibus amplior prospexitus castrorum Israëlis Bileamo dabatur, ceu conferenti Num. 23. v. 3. 14. 27. 28. c. 24. v. 1. 2. 10. patebit, quis negaret, Bileamum ab excelsis Baal Duce Balaco in excelsiora pedem promovisse? Ad (3.) de locis, in quibus nomen plurale שְׁפִירִים reperitur, reddendum per valles s. planitatem, Respond, peti principium, ceu ex seqq. mox patebit. Relinqvitur ergo derivatum שְׁפִיר in l. c. Num. 23. pro significatione elevandi s. excelsi in voce נֶצֶף sic satis militare.

S. 6. Favent eidem significationi (3.) loca, in quibus nomen derivatum שְׁפִיר jam defensum, in dicto jam plurali reperitur & significationem clivorum s. locorum eminentiorum non ex mera conjectura, ceu Lud. de Dieu ad locum Num. 23. 3. quod paulò ante relatum, garrisit, sed verè vi originis suæ, contextu id volente, habet: vid. Isa. 41. 18. c. 49. 9. Jerem. 3. v. 2. & 23. c. 4. 11. c. 7. 29. c. 12. 12. c. 14. 6. Ex his enim primus Isa. c. 41. 18. ita sonat: נֶחָרוֹת i. e. juxta Vulg. aperiā in supremis collibus fluminis. Licet v. omnes hic versiones in voce שְׁפִיר agnoscent significationem eminentia seu collis: nam LXX. habent ἐπί ὄπεων i. e. super montes; Versio ap. Vatabl. in excelsis i. e. editioribus locis; Junius: in locis eminentibus, Luth. auf den Höhē Belg. op de hooghe Plaats. Kimchi בָּמִקְרָמוֹת גְּבוּהִים e. e. in

C

i.e. in locis excelsis, sicut Num. 23. 3. ad quem locum is diserte provocat, adeoq; inire consonent; Ludov. tamen de Dieu in contrarium de-nuo abit, eandem per planitatem hic & alibi reddendo. Ita enim l. c. vertit: aperiam in planitiibus fluvios, ut sc. mutatis saltim verbis, non sensu, idem priori membro dicatur, quod posteriori: in medio valli-um aperiam fontes. Atvero miraculum exuberantis gratiae, qvæ d. l. promittitur, magis certè exprimitur, si apertura fluviorum, qvæ cete-roqui in locis datur depressioribus, tribuatur locis eminentioribus. Favit (4.) eidem significationi eminentia in voce questionis, שפְרָנְצִיסְקָה consonantia textus & commoditas sensus: prædictus enim h. l. publi-catio belli militumq; conscriptio, futura per erectionem vexilli. Si-gna v. bellijam instantis vel indicendi solent ex arce edita vel monte celso explicari, ut omnibus bellum constet decretum & ad illud turma bellatorum concurrat. Inde h. l. dicitur: attollite vexillum super montem excelsum. Suffragatur (5.) autoritas tum קִמְבָּתִי, qui vocem controversam נַבְשׁוּ reddit per נַעֲמָן elevatum & גָבוֹהַ excelsum: tum aliorum Interpretum: conf. Anglie. Annos. & Bootii animadvers. item Belgica versio supra §. 3. laudata: B. Varenii Comment. in Jsai h. l. p. 3. Omnes ergo rationes caliginis à Sanchio, Forerio & Grotio adductæ, satis caliginosæ sunt inq; fumum abeunt. Quid enim juvat rationes caliginis magno conatu pro vulgata accongerere, cum Ebraæ vox non caliginis sed eminentia potius significatione pluribus jam ostensæ coruscet?

S. 7. Speciem tamen (2.) ad quartam caliginis rationem à temporis articulo 1. nocte petitam, qvâ Babylon juxta Sanctum expugnata & florentissima Chaldaeorum Monarchia fuit extincta, Dan. 5. 30. 31. respondemus (1.) tropologiam satis esse duram, qva urbs à nocturno tempore, quo expugnata fertur, dicenda sit caliginosa. Neque modus loquendi, qvem Sanchius adducit, id propugnat, sed potius im-pugnat: ut enim fur, & illi qui noctu agunt & graduntur, nocturnus & obscuri dicuntur: ita & Medi potius, noctu Babyloniam juxta Sanctum expugnantes, qvam Babylonia tempore noctis expugnata, ob-scursi propter noctem illum & caliginosi essent appellandi (2.) Negamus eadem nocte, qva juxta Dan. 5. Belzazar Rex Chaldaorum interficiu, Babyloniam esse à Medis & Persis Duce s. Dario l. Cyro expugnatam & captam, de quo seq. Disp. dicetur. Mons ergo caliginosus in caliginem abit, eminens vero consistit & coruscat.

§ 8. Sed

§. 8. Sed queritur hic porro circa eandem vocem **הַשְׁפֵּרָה** quid habendum de illorum sententiâ, qui vocem illam cum *Lud. de Dieu* reddunt *planum*, Syriacam verbi significationem supra §. 5. nobis ad locum Num. 23. 3. objectam respicientes (Vid. Syrum ad Iai. 45. 2. &c. §. 14.) simulque hanc rationem addentes, quod *planus* omnino locus aptior ad exercitum sit instruendum præliumque committendum, quam præruptus. Ad quod respond. non planam satis hanc de *plane* monte versionem esse, nec ullâ nos ratione, ut eidem subscribamus, induci. Nam. (1.) quid opus est ad Syrialium confugere, ubi Ebraismus tot in locis voci questionis **שְׁפֵרָה** ejusque Radici **שְׁפֵרָה** & derivato nomine **שְׁפֵרָה** hujusq; plurali **שְׁפִירָה** significationem loci eminentioris inesse docet, uti supra §. 5. & 6. ostensum, ubi & objectioni, à Syriaca significatione vocis **שְׁפֵרָה** petitæ, satisfactum esse putamus (2.) adjectam rationem nunci esse: non enim hoc versu 2. locus designatur, in quo exercitus instruitur præliumque committitur: is verò seqv. deum tertio versu notatur, ubi in plurali dicitur: *cst clamor turba in montibus*; sed locus, unde effertur belli signum, vel in quo publicatur bellum jam decretum: adeoque publicatione belli per signum militare contradistinguitur h. l. apparatu exercitus lustrandi, de quo v. 3.

§. 9. Quidam sic expeditis non difficile erit ad seqv. (3.) questionem respondere, qua queritur, quid sibi velit elevatione vexillii supermontem? Nimirum non intelligenda est de incessione militum, quæ sublatis fieri signis ad expeditionem militarem consuevit: neq; de propositione signi ad oppugnandam urbem: neutri enim expositiōni faveat contextus: siquidem Propheta hic in initio nondum ad incessōne militum sublatis omnino signis fieri suetam, neque ad oppugnationem præliique commissionem inclamat; sed adhuc circa publicationem belli & conscriptionem, convocationem militum versatur, ceu in præced. ostensum: Igitur de illa belli publicatione militumque conscriptione isthæc militaris signi sublatio intelligenda erit.

§. 10. Neq; tandem (4.) his ita explanatis, difficultia sunt expli- catu postrema loci hujus verba, quæ finem elevationis hujus signi super montem excelsum designant & ita habent: **וַיְכֹא פְּרָחֵן נֶרְבֵּה** h. e. juxta Vulgatum: & ingredientur portas Duces. Eqvidem, cum queratur, an vox **נֶרְבֵּה** (quæ est à R. **נֶרְבֵּה munificum & spontaneum fecit**) h. l. sit *Nominativus*, an v. *Genitivus*, an denique *Vocativus*? quidam *Nominativum* illam esse dicunt cum Vulgato jam

jam jam adducto; alii Genitivum, ut ex se q. Pagnini, Vatabli ac Lutheri versionibus appareret: *G*(ut) *ingrediantur portas Ducum* (principum munificorum sc. Babylonicorum h.e. urbis Babel) *Esse eingehen durch die Thore der Fürsten*; tandemq; LXX. in *Vocativo* vertunt: *ἀνοίξασθαι τοις ἀρχαρτες, οπέρε πρίντες;* verū ex his fonti magis accedunt, qvī in *Genitivo* reddunt, id qvod præcedens vox פָּתַחְיִם probat, qvæ non tantum status est *constructi*, adeoq; *Genitivum post se requirit*, sed & *conjunctivo* signatur accentu; qvo ipso illa arctissimè cum seqv. qvæstionis voce construitur h. m. *portas Ducum*; cum aliàs, si נֶבֶל eset Nominativus, nec accentui conjunctivo in præced. voce nec constructioni vocis נֶבֶל cum פָּתַחְיִם i.e. *portas*, locus eset. His præsuppositis cum (2.) qværitur, qvid sibi velit illa *Ducum in portas ingressio?* an infestam notet bellantium in portas principum munificorum sc. urbis Babel, elevato belli signo futuram, irruptionem? Resp. communem illam verborum expositionem nobis non probari, cum h. l. non de elevatione signi oppugnationis, sed de publicatione belli perelevationem signi & conscriptione militum agatur, uti paudē antè ad qvæst. 3. probatum, ideoq; verbis hilce posterioribus videri non ingressiōem in portas urbis expugnandæ, sed militum potius conuentum ad portas sc. fores *Ducum* sc. præfectorum militarium inferiorum indigitari. Favet huic expositioni (1.) contextu jam dictus, in quo certè Propheta hypotyposin illorum, qvæ in conscriptione militum fieri vulgo sverunt, exhibere videtur (2.) frequens ellipsis particula וְvel הַusus, qvæ & h. l. in voce pro פָּתַחְיִם h. e. ad portas, conceenda. Conf. Gen. 43. 19. Exod. 33. 8. 9. 10. &c. (3.) *Commoditas sensus: Super montem excelsum extollite signum Sc.* סֵדְבָּא (ut) *veniant* (א R. בְּנֵי venire, vel convenient milites futuri) *ad fores ducitorum.*

§. II. Usus loci conspicitur in qvæst. de bello, an illud Crito-Riano sic lizitum? Nam Deus hic ipse milites excitat & convocat signumq; belli in eminentiori loco jubet elevari, ut hoc signo belli dato milites convenient, Babyloniam dehinc expugnaturi. Conf. seqq. veri 3. & 4. Non verò sine impietate Sociniani & Anabaptiste in hac controversia V. T. autoritatem rejiciunt. Siqvidem illam de bello declarationem Deus ad solum V. T. nulpiam restrinxit neq; in N. T. retractavit, nec bella simpliciter prohibuit, sed potius in N. T.

multi declaravit modis, se bella non improbare.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733812481/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733812481/phys_0028)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn733812481/phys_0029](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733812481/phys_0029)

DFG

Locus II. IsA: xiii.

S. 8. Sed qværitur h̄ic porro circa e
habendum de illorum sententiâ, qvî vocem
reddunt planum, Syriacam verbi significationem
cum Num. 23. 3. objectam respicientes (Vid.
57. 14.) simulq; hanc rationem addentes,
cū aptior ad exercitum sit instruendum pra
qvām praruptus. Ad quod respond. non
monte versionem esse, nec ullā nos ratione
induci. Nam. (1.) qvid opus est ad Syriacum
ismus tot in locis voci qvæstionis נָשְׁפֵר ejus
vato nomini נָשְׁפֵר hujusq; plurali נָשְׁפֵר
nentioris inesse docet, ut supra S. 5. & 6. ost
Syriaca significatione vocis נָשְׁפֵר petitæ, sat
adjectam rationem nasci esse: non enim hoc
in quo exercitus instruitur præliumq; con
demnum tertio versu notatur, ubi in plurali
in montibus; sed locus, unde effertur belli
catur bellum jam decretum: adeoq; publi
litare contradistinguitur h. l. apparatu exere
citu.

S. 9. Qvibus sc̄ expeditis non
qvæstionem respondere, qua qværitur, qvæ
supermontem? Nimirum non intelligenda est
sublati fieri signis ad expeditionem militi
propositione signi ad oppugnandam urbem
oni faveat contextus: siquidem Propheta hic
cessionem militum sublati omnino signis fie
gnationem prælique commissionem inclama
tionem belli & conscriptionem i. convoca
ceu in p̄ce dd. ostensum: Igitur de illa belli
conscriptione isthæc militaris signi sublatio

S. 10. Neq; tandem (4.) his ita expli
catu postrema loci hujus verba, qvæ finem e
montem exculum designant & ita haben
h. e. juxta Vulgatum: & ingredientur portau
ritur, an vox נָשְׁפֵר (qvæ est à R. Ge
fæcie) h. l. sit Nominativus, an v. Ge
nativus? qvidam Nominativum illam c

the scale towards document

19

נָשְׁפֵר
ad. de Dieu
obis ad los
l. 45. 2. & c.
omnino lo
mittendum;
ic de plano
scribamus,
ubi Ebra
w & deri.
loci emi
objectioni, à
utamus (2.)
designatur,
verò seqv.
mor turbæ
qvo publi
signum m
de qvo v. 3.
seqv. (3.)
ratio vexilli
lum, qvæ
it: neq; de
m expositi
dum ad in
ve ad oppu
circa publi
m verlatur,
militumq; ve
rit.

sunt expli
signi luper
רוּבָא וְפָרָה
, cum qvæ
bonaneum
niqve Vo
a Vulgato
jam

